

(4) Hic est vere sol, quem scriptura testatur: *Orietur sol iusticie timentibus nomen meum*⁸⁾; sed hoc presertim et de illis accipitur, qui sapientia permanent, iusticiam diligunt et quorum vultus respicit equitatem. Hic est sol vite secundum veritatem ewangelicam et qui vite prebet exemplum, in a) omni^a) legitur hoc ut in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente. Hic est, de quo errantes in executione iusticie conqueruntur dicentes: *A via veritatis erravimus et nobis lumen iusticie non illuxit*⁹⁾.

(5) Nec indigne dicitur, quod *refulget sol in clipeos aureos*, videlicet in iusticie defensores¹⁰⁾ et *facta*^b ¹¹⁾ *causarum ambigua dirimentes*, qui *sue defensionis viribus in rebus publicis et privatis lapsa erigunt, fatigata reparant nec minus humano generi provident*^{c)} *quam si preliis*^{d)} *atque*^{d)} *vulneribus patriam parentesque salvarent*. Hinc Iustiniana sancio non solos illos militare decrevit, qui *gladiis, clipeis et toracibus utuntur*^{e)}, sed et illos, qui *presidio gloriosi muneris laborantium spem vitam posterisque defendunt*¹¹⁾, ne potenciorum manus validior afficiat humiliores iniuriis prematque iacturis clipeo iusticie non adiutos^{f)}.

(6) Tales namque clipeos aureos divina merito presignavit auctoritas, cum per aurum virtutum nobilitas et specialiter fortitudo fidei designatur. Numquid a talibus clipeis montes, ut pute seculares principes, non resplendent? Profecto eorum fulgore coruscant consistens^{g)} in eis velud in stabilibus firmamentis fundamenta fidei et iusticie. In montibus sanctis, videlicet in catholicis et devotis principibus, qui securitatis, defensionis et tuicionis clipeos deferentes fidei fortitudine, vite sanctitate ac rectitudinis gracia divinitus accenduntur. Sicque muniti et illuminati virtutibus infidelium gencium et iusticie derogantium fortitudinem dissipant et effrenes iuris frenis ac exleges lance legum artant et rectificant et compescunt.

(7) Horum namque devocionis et virtutis claritas luce puriori tamquam sidus irradiat, dum amore fidei divina[m] clemencia[m] reverentes et iusticie terminos observantes Deo et sanctissime Romane ecclesie vel

a) ioique mit Kürzungsstrich Hs.; wohl zu lesen ideoque. b) So Hs.; nach Cod. Iust. 1. 14. C. 2. 7 zu lesen fata. c) So zu lesen nach Cod. Iust. a. a. O.; prevident Hs. d) So zu lesen nach Cod. Iust. a. a. O.; pre aliis absque Hs. e) So Hs.; nituntur Cod. Iust. a. a. O. f) adiutus Hs. g) So Hs.; zu lesen vielleicht consistencia oder consistente ... fundamento.

8) Mal. 4, 2. 9) Sap. 5, 6. 10) Vgl. HB. 107, Z. 24—25. 11) Cod. Iust. 1. 14. C. 2. 7, aber von den advocati gesagt.